ministris hic relinquens propterea ut ea iudicia ad terrenam potestatem pertinentia secundum tenorem legum et debitum iuris terreni exerceat. Sic tamen ut et ipsum quod potestatem habet, a principe terrena se habere cognoscat. Et ipsas possessiones numquam a regia potestate ita elongari posse intelligat, quin si ratio postulaverit et necessitas, et ipsis ipsa potestas debeat patrocinium, et ille ipse possessiones debeant in necessitate obsequium. Sicut enim potestas regia patrocinium quod debet alii non potest dare, sic ipsa possessio que ab ecclesiasticis personis optinetur obsequium quod regie potestati pro patrocinio debetur iure negare non potest. Sic scriptum est: Reddite que sunt cesaris cesari, et que sunt dei deo.

Quot modis in seculari potestate determinanda est iusticia.

sicut scriptum est reddite que sunt cesaris c[esari]

Sciendum vero est quod iusticia illa que terrene potestati in subditis data est v modis determinatur: secundum personam, secundum causam, secundum modum, secundum locum, et secundum tempus. Illa que aliquando licet in seculari ordine licet, et ipsa iusticia iniuste exhibita fuerit, iusticie nomen amittit. Quapropter quod licet respiciendum est diligenter, quia non licet quicquid dandum est. Modi quibus iusticie forma determinatur: secundum personam aliquid licet et aliquid non licet, quemadmodum secularis iudicis est in laicum si peccaverit manum mittere licet, in clericum non licet. Secundum causam iusticia determinatur, ut inde scilicet negotia secularia a potestate terrena, spiritualia vero et ecclesiastica a spirituali potestate examinentur. Secundum modum sive mensuram iusticia determinatur, cum videlicet quelibet culpa congrua et conveniente pena multatur, ut non plus amor in iudicio equitatis aliquid subtrahat, neque odium plus adiciat debite severitati. Secundum locum et tempus determinatur iusticia, sicut et quando conventum iudicium exercetur et profertur veritatis sententia. Secundum personam quoque iusticia violaretur, si iudex secularis in ecclesiasticam personam manus mitteret. Secundum causam, si ecclesiastica negotia examinanda susciperet. Secundum mensuram, si mendacium vel maledictum suspendio puniret. Secundum locum, si loca sacra violare presumeret, et confugientibus ad illa reis et pro suis sceleribus condempnandis inordinate violentiam inferre temptaret. Secundum tempus, si festis et sollempnibus diebus reverentiam non exhiberet qui